Epicedia.

At nos hic ſtringunt infamia, dura, labores,
Et curæ triſtes, angor, & omne malum.
Excruciant animas exempla immania ſanctas,
Nec mundo arrident verba tremenda DEI.
Da, DEVS, his finem rebus, ſanctosque fideles
Conſerva, & regnum floreat usque Tuum.

Honori Viri beati poſuit

Chriſtianus Schœttgenius,

Cruciani Rector.

Ad B. Defunctum.

LIpſia nos primum ſtudiorum fœdere junxit,
Dresdaque poſt gremio fovit utrumque ſuo.
Quam ſanctum heic nobis, quamque & venerabile fidum
Nomen amicitiae conſtitit usque piae!
Triſtis eras, triſtabar item: quum laeta parares,
Laetitiae tecum candida ſigna dabam.
Nullus nos livor, nec fraus, nec acerba ſimultas
Vnquam disjunxit; creſcere viſus amor.
Te fidum ſemper mihi, ſemper ubique paratum
Juveni, quoties aſperiora tuli.
Conſilio auxilioque tuo me ſponte juvabas,
Non imploratus: tam Tibi charus eram.
O quoties, memini, non poſſe frequentius unà
Eſſe ambos, cupido Te doluiſſe animo!
Interea tacito paſſu approperare ſenectus
Coeperat, & vires attenuare ſimul.
Nos tamen, & tremulis interdum paſſibus, ambo
Alter in alterius viſere ſaepe domum.
Jubila ſancta DEO vix dum tuleramus uterque,
Quum Te aegrotantem nuncia fama refert.
Vidi, ac indolui; ſed ſpes tamen, arte levari
Poſſe malum morbi, Numinis auxilio.
Plus valuit tamen hoc, Medicorum induſtria quicquid
Tentaret, mortis non medicamen erat.
Ad ſuperas igitur ſedes anima inde receſſit
Corporis exuvias frigida texit humus.
Sic me deſertum liquiſti, ac multa gementem,
Sim licet aetatis conditione prior.
Sed bene: praecedis, ſequar hinc, uti JOVA vocarit,
Et lubens ſecli quisquilias fugiam.
Junget nos coelum: DEVS heic habitacula certa,
Gaudiaque aeternum non peritura dabit.
Erigat interea preſſos luctuque jacentes,
Et multâ, ut coepit, proſperitate beet.

Memoriae Viri antiqua virtute ac fide, ſolatioque lugentium ſcr.

M. Joh. Gideon Gellius, Con. R.